

Omne quod natum est ex Deo vincit mundum.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli

5, 1-6

Caríssimi:

¹ **O**mnis, qui credit quóniam Iesus est Christus,
ex Deo natus est,
et omnis, qui díligit Deum, qui génuít,
díligit et eum, qui natus est ex eo.

² In hoc cognóscimus quóniam dilígimus natos Dei,
cum Deum diligámus et mandáta eius faciámus.

³ Hæc est enim cáritas Dei,
ut mandáta eius servémus;
et mandáta eius grávia non sunt,

⁴ quóniam omne, quod natum est ex Deo,
vincit mundum;
et hæc est victória, quæ vicit mundum: fides nostra.

⁵ Quis est qui vincit mundum,
nisi qui credit quóniam Iesus est Fílius Dei?

⁶ Hic est qui venit per aquam et sánguinem,
Iesus Christus;
non in aqua solum sed in aqua et ságuine.
Et Spíritus est, qui testificátur,
quóniam Spíritus est véritas.

Verbum Dómini.